

Was sie vollbrachten, war nur die Ausführung von Karls Plänen; deshalb wird sein Verdienst auch nicht geschmälert.

Es ist hier nicht der Platz, auf die Anlage und die Ausführungen jener Bauten näher einzugehen. Diese zu schildern, bedürfte es einer geübteren, sachverständigeren Feder und einer eingehenden Besichtigung der noch vorhandenen Überreste, wozu uns keine Gelegenheit geboten ist. Wie großartig diese aber sind, ersieht man aus den Aufwendungen, welche die belgische Regierung macht, um das noch Vorhandene vor weiterem Verfall zu schützen und für spätere Generationen zu erhalten. Öffentliche Blätter und Ordenszeitschriften berichteten uns anfangs der neunziger Jahre des vorigen Jahrhunderts darüber.¹⁾ Der belgische Staat hat 1893 im Enteignungsverfahren die zwölf Hektar, auf denen die Ruinen stehen, für 150.000 Frs. erworben und die Kammern haben 230.000 Frs. als ersten Kredit für die Restaurierung der Abtei bewilligt, die „eines der herrlichsten mittelalterlichen Bauwerke Europas ist.“²⁾

(Schluß folgt im nächsten Hefte.)

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. I./II. 1909, pg. 60—69.)

§ II.

Monasterium S. Benedicti de Sahagun.

Coenobium hoc „quo nullum in Hispania divitiis, amplitudine, maiestate illustrius olim fuit, (et) nostra aetate, aiebat cl. Mariana et post eum Mabillonius noster, in paucis nobilissimum habetur,“³⁾

¹⁾ Augsburger Postz. 1894, Nr. 239; Cist. Chr. 7. Jahrg. S. 57, 8. Jhrg. Seite 375.

²⁾ Zu weiterer Orientierung verweisen wir auf: G. Boulmont, Description des Ruines de l'abbaye de Villers. Doux fils — Delvaux, Namur 1897; P. Nimal, L'église de Villers, Étude historique et archéologique, Bruxelles, Vromant 1904, und desselben Verfassers, L'église de Villers, Nouvelle étude (1905); E. de Preme de la Nieppe, Église de l'abbaye de Villers; H. Schuermans, Église de l'abbaye de Villers. Die beiden letzten Autoren veranlaßten eine Kontroverse, indem sie behaupteten, die Kirche in Villers sei bereits um die Mitte des zwölften Jahrhunderts begonnen worden. Ohne Zweifel hat Karl an der Kirche gebaut. In einem Cartulaire ms. de Villers, Propriétés de Fleppe fol. 6 V^o steht zu lesen: Dederunt etiam nobis (Arnulfus de Wesemael et uxor sua Clementia), ad edificandam ecclesiam nostram, allodium suum de Mancipont. Dieser Akt stammt aus dem Jahre 1208, die Schenkung geschah also unter der Prälatur des Abtes Karl. Vgl. Moreau, l'abbaye de Villers-en-Brabant p. 44 ssq.

³⁾ Mariana (Joan.) S. J. »Historiae de Rebus Hispaniae«, lib. VII, cap. 19; Mabillon. (Joan.) O. S. B. »Annales Benedictini«, III, 247.

situm erat juxta flumen Cea in regno Legionensi. Fundatum fuit ab Alphonso, seu Walabonso, Abbate, qui cum nonnullis monachis ex Corduba propter arabicam persecutionem ad Christianorum provincias aufugerat, cui Alphonsus III, Magnus dictus, Ecclesiam SS. Martyrum Facundi et Primitivi, a Christifidelibus valde frequentatam, tradidit. Non est tamen una scriptorum mens circa foundationis hujus annum, ut videre est apud Cl. P. Romualdum Escalona, qui maxima sedulitate historiam sui Coenobii scripsit.¹⁾ Hic autor, chartis, Regumque diplomatibus iterum examinatis, censet foundationem contigisse post annum 872, rejicitque opinionem illorum, qui antiquiorem aetatem assignant,²⁾ praecipue vero sententiam Argaizii, qui pseudo chronicorum auctoritate suffultus, seu melius fucatus, usque ad tempora S. P. Benedicti, ut assolet, etiam originem retroducit.³⁾

Vix sūm opus perfecerat rex Alphonsus, cum advenerunt arabes an. 883, illudque diruerunt usque ad fundamenta; verumtamen rex studuit Monasterium et Ecclesiam protinus „restaurare, ampliare et aedificare“, quod iam finierat anno 904, ut constat ex diplomate dotationis XI Kalendas Decembris concessio.⁴⁾ Paulo post obiit Abbas Alphonsus, qui horum omnium notitiam reliquit in volumine ad posteros non satis fideliter transmissio, ut dolet P. Escalona.⁵⁾ Statim ejus locum digne implevit Receswindus, cui die 30 Novembris ejusdem anni Alphonsus III confirmationem omnium, quae praedecessori dederat, tribuit, multa noviter adjiciens oppida et bona „pro sustentione Monachorum, inquit, in domo vestra degentium, vel cunctorum ibidem advenientium,“ seu pauperum et peregrinorum, ut in aliis scripturis hujusmodi expressius habetur, in quorum manus divitiae Monasteriorum, ut iam alibi notavimus, transibant.⁶⁾ Sed valde notatu digna sunt verba, quae inferius subdit, ait enim, „Igitur hoc optime manere censuimus, ut tam Eglesias quam omnem nostram, quam ibidem concessimus donationem Receswindi Abbati, vel Sanctorum Facundi et Primi-

¹⁾ »Historia del Real Monasterio de Sahagun«, Madrid 1782. fol.

²⁾ Sandoval (Prud.) O. S. B., Primera Parte de las Fundaciones de los Monasterios del Glorioso Padre San Benito (en España). Matriti 1601, Sahagun, pag. 43; Morales (Ambros.), Crónica, lib. XV, cap. 6. (pag. 317, t. II, edit. 1852); Viaje Santo, pag. 34.; Yepes-Crónica, III, 167 seq. Hi omnes existimant fundatum fuisse tempore Wisigothorum.

³⁾ »La Soledad laureada« por San Benito y sus hijos en las Iglesias de España vol. VI, Matriti, 1675, fol. pag. 105: »La Perla de Cataluña«, Historia de Nuestra Señora de Monserrate, Matriti, 1677, fol. pag. 307.

⁴⁾ Escalona, Op. cit. pag. 17—19; Append. III, Script. III. pag. 376; Morales, Viaje, pag. 34. Sandoval, pag. 47, 48. Verba »restaurare« in errorem induxerunt scriptores ad sentiendum quod Coenobium Sahaguntinum ante Maurorum invasionem fundatum fuisset.

⁵⁾ op. cit. pag. 19.

⁶⁾ Studien, 1908, pag. 70. Cf. Escalona, 237 seq.

tivi cum fratribus suis curam habere, regere et monasticam vitam secundum docet Sancti Benedicti regula ibidem exercere“ . . . ¹⁾, ex quibus proculdubio deducere possumus hos ipsos Monachos jam pridem dictam Regulam servasse, ac proinde illam in Hispania tempore Wisigothorum et ante Mauricam irruptionem cognitam et admissam a Monachis fuisse, quidquid Cenni aliique recentiores clamitent.²⁾

Monachi noviter in restaurato coenobio adunati vitam monasticam magno fervore renovarunt, qua propter bona opinione undique conciliata, confluebant ad eos nomen sanctae religioni dare cupientes non solum Reges, ut Alphonsus IV (propterea Monachus dictus, 927—28),³⁾ regnique proceres et multi nobiles viri, sed etiam filiae Regum, ipsorumque superstites uxores, cum plurimis aliis spectabilibus feminis, pro quibus non longe aliud coenobium conditum est;⁴⁾ nihil proinde mirum si bona Monasterii Sahaguntini maxime creverint accedente quoque Praelatorum ejus sollicitudine, praecipue Sigerici (960—72), Sarracini (972—77) et Paschalis (980—93), sub quo iterum advenerunt arabes, qui post destructam urbem Legionensem et Exlonzae Coenobium, in Cordubam regredientes, multa mala hic perpetrarunt, illud tamen non subverterunt, ut communiter auctores tradunt, refellitque Cl. P. Escalona.⁵⁾

Saeculum undecimum optimis coepit auspiciis pro Sahaguntino Monasterio, quod ad summum pervenit gradum tam vitae regularis observantia quam rerum temporalium copia. Abbas Cyprianus ob vitae sanctitatem in Sede Legionensi collocatus est, ibique, ut creditur, successorem suum in abbatiali dignitate, post

¹⁾ Escalona, pag. 19; Escritura III, loc. cit.; Sandoval, pag. 48; Iepes, III, 169.

²⁾ Cenni (Cajetanus) »De antiquitate Ecclesiae Hispanae«, Romae 1741, t. II, Diss. VI. De origine, fundatione et Institutis Monasteriorum Hispaniae; praecipue cap. III. Hoc opus, quod apud externos magno pretio habetur, ait Vinc. Lafuente, sinistra intentione scriptum est. Cf. »Historia Ecclesiastica de España«, I, 19, edit. Matrit. 1873. Verumtamen Lafuente huic sententiae quodammodo adhaeret, II, 195, edit. cit. Ratio potissima hujus auctoris est quod Patres Hispani non meminerint unquam Regulae benedictinae, quod falso asseritur, cum Regulae SS. Isidori ac Fructuosi ex illa videantur transcriptae, ut notant Mabillonius (Proefatione I. in saeculum primum, § VI, n. LXXIV) P. Rodriguez. (Antiguedad de la Regla de San Benito en España« pag. 207 seq.) et R. P. Didacus Macolaeta in Epistola huic operi praefixa.

³⁾ Mariana, lib. VIII cap. V; Morales, lib. XVI, cap. VII et IX.; Yepes, III, 175 v, V, 129; Mabillon, Annales, III, 407, 8; Escalona, pag. 31.

⁴⁾ Escalona, pag. 42, 45, 46, 47 etc.

⁵⁾ Escalona, pag. 49 seq. Cf. Sandoval, pag. 50. v seq.; Yepes, III, 176, 200; Morales, lib. XVII cap. XXIII.; Argaiz, »Soledad laureada«, loc. cit. p. 114; »Perla de Cataluna«, loc. cit.

ejus dimissionem, elevatum vidit S. Alvitum,¹⁾ Regi Ferdinando I charissimum, cujus conversatione Princeps valde fruebatur, Monasterium Sahaguntinum frequenter visitans et conventuales observantias quasi monachus adimplens.²⁾ Ejus erga Sahaguntinos aemulatus est affectum filius suus Alphonsus VI, qui a fratre Sanctio regno privatus, ea conditione vitam obtinuit ut habitum monasticum acciperet, sicut fecit, in hoc Coenobio; postea vero Sanctii morte in regnum restitutus maximis illud auxit muneribus ac privilegiis, voluitque ut super coetera regni sui Monasteria primum locum teneret. Ad hoc Cluniacensium ordinem introducere curavit nonnullos monachos petens a Sancto Hugone, qui Robertum et Marcellinum in Hispaniam transmissit.³⁾ Cum vero hi nihil obtinere possent, eorum loco selegit Bernardum, religione ac prudentia magna praeditum, qui ita Sahaguntinorum animos lucravit ut, suscepta protinus nova vivendi norma, ipsum in Abbatem elegerint, cui deinde Romam profecto benedictionem propriis manibus impertivit Sanctus Gregorius VII. confirmationem simul bonorum et privilegiorum concedens, ac statuens ut „Apostolicae Sedis specialiter adhaereret ad instar et formam Clunia-

¹⁾ Agentes de Monasterio Samonensi adnotavimus (Studien, 1908, 408, not. 1) ab auctoribus »Hispaniae sacrae« rejeci opinionem, inter nostros communiter acceptam et a cl. P. Escalona pro viribus propugnatam, quae tenet eundem esse Alvitum Abbatem Sahaguntinum et Episcopum Legionensem. Hoc impugnavit P. Florez (España sagrada, XVI, pag. 179 2^{ae} edit. Matrit. 1787) innixus codice antiquo, ubi dicebatur antea fuisse Abbatem Samonensem, quam distinctionem probabat quoque nonnullis instrumentis ab Alvito Legionensi subscriptis circ. an. 1050, quae habentur in Append. operis nostri Berganza, »Antigüedades de España«, quibus alia tria ex Archivo Ecclesiae Legionensis addit P. Risco (XXXV. pag. 79). Veruntamen cum illis annis indubitanter praedictae Ecclesiae praefuisset Cyprianus, P. Risco non aliam rationem pro tuenda collegae sui sententiae in promptu habet nisi asserere illum Alvitum esse Cypriani coadjutorem, seu Choroepiscopum, quod adhuc est probandum. Hoc ex accurata Sahaguntinorum Abbatum chronologia notatur, nempe, eodem anno, quo episcopatum dimisit Cyprianus, cessare memoriam Alviti, qui ex tunc continuatae apparet subscribens ut Episcopus Legionensis diplomatibus regiis aliisque hujusmodi instrumentis usque ad an. 1063, quo Hispali, ubi jussu Ferdinandi I erat reliquias magni Doctoris Isidori quaerens, ad puseros feliciter migravit. Cf. Escalona, pag. 63.

²⁾ Haec de eo habet Rudericus Archiep. Toletanus. »Cum ad S. Faundi monasterium veniebat, cibis eorum contentus, pari ordine et consortio, quasi unus ex eis et divinis officiis imistebat et cibariis regularibus utebatur. Cumque oblatum vas vitreum de manu abbatis ad mensam residents suscepisset, vas decidens de manu Regis illico fractum fuit. Rex vero pro negligentia valde poenitens, in continenti vas aureum gemmis ornatum fecit afferri et Abbati offerens pro vitreo satisfacit«. (De Rebus Hispaniae, lib. VI, cap. XIV, edit. Francofurti 1579, pag. 234 t. I.).

³⁾ Non conveniunt auctores in ratione agendi tum Regis Alphonsi, tum horum monachorum. Quidquid sit, hoc ansam praebuit D. Vinc. Lafuente invenendi in omnes Cluniacenses, quod aperte injustum ac dedecorum est (Cf. ejus »Historia eclesiastica de España«, II. 201, 203 edit. Barc. 1855; III, 302, edit. Matrit. 1873.)

censis Coenobii, ut sicut illud in Gallia, ita istud in Hispania libertatis praerogativa clarescat.¹⁾

Pium Regis ac Pontificis desiderium reapse adimpletum est opera praecipue ac diligentia praeclarissimi Bernardi, qui paulo post, recuperata ex Mauris urbe Toletana, olim Wisigothorum metropoli, restitutaque Archiepiscopali Cathedra, in ea summo totius regni plausu collocatus est, addita quoque antiqua Primatiali dignitate, adjectoque nunc ab Urbano II Legationis Pontificiae munere.²⁾ Quod autem ipse Bernardus apud Sahagun incoeperat, solidavit successor ejus Didacus (1088—1111), alique abbates post eum, ita ut Coenobium tam fratrum numero ac religione, quam aliorum Monasteriorum, rerumque temporalium copia, semper primatum tenuit. Cum autem nihil eorum, quae sub sole sunt, immutabile sit, mundanarum rerum mutabilitatem aliquoties non parum sensit, haec Domus praecipue propter oppidum, quod ex omni gente, christiana, judaica et barbara, hispana et alienigena rex Alphonsus, bona quidem voluntate at non pari prudentia, circa Monasterium collegit, ut ipsi eventus demonstrarunt.³⁾

Mortuo etenim Alphonso VI, successit Urraca, ejus filia, quae cum viduata esset primi mariti Raymundi comitis, nupsit Alphonso I Aragoniae regi, quam unionem improbarunt episcopi et imprimis Bernardus Toletanus, a quo certior factus est Summus Pontifex, qui pariter illam declaravit illicitam, conjugesque de separatione admonuit. Multorum malorum causa fuit hujusmodi matrimonium, quippe nec ipsi conjugati pacifice cohabitarunt, et Alphonsus, congregatis exercitibus, regna uxoris invasit atque Sahaguntinum oppidum, adjuvantibus ejus incolis, occupavit, Monasterium intravit, Abbatemque Dominicum, qui fugere coactus est, deposuit, ipsiusque loco fratrem suum Ramirum, monachum S. Petri de Tomeras, „aetate moribusque juvenem“ illi Conventui praefecit.⁴⁾ Tunc incolae Sahaguntini bona Monasterii occuparunt dilapidaruntque, Regique suadebant ut, monachis ejectis, clericos induceret, quod profecto fecisset, nisi, adversante fortuna, fugere cogeretur, quem secutus est Ramirus, qui postea cucullam pro regia purpura mutare debuit. Sahaguntini tamen fere semper rebelles permanserunt etsi Regina multoties eos ad debitam obedientiam Abbati praestandam cogeret, qui multo tempore latere debuit ad vitam ser-

1) Sandoval, 59; Yepes, III, 183; Escalona, 77 et App. III, 481.

2) Aguirre »Collectio maxima Conciliorum Hispaniae« t. V, 1. 13, 43 v. Mariana, lib. IX, cap. XVI, XVII, XIX.: Sandoval, Op. cit. pag. 62, 70. Yepes III 187, 200v.; VI, 370 seq.; Escalona p. 80 — qui praeterea notant tunc etiam nonnullos monachos hujus Coenobii positos fuisse in Ecclesia Toletana, ubi aliquae caeremoniae Ordinis nostri diu servatae sunt.

3) Sandoval, p. 64v.; Escalona, p. 78.

4) Mariana, X, pag. VIII; Yepes, III, 192v; 200—201: VI, 376; VII, 259: Escalona, 92 sig.

vandam, donec concilium Burgense illos excommunicationis poena percussit.¹⁾

Succedente postea in regnis Castellae ac Legionis Alphonso VII, pax iterum populis effulsit, et Monasterio Sahaguntino bona restituta sunt novoque diplomata confirmata. Voluit tamen illud Cluniacensi submittere ut reformaretur, ob sinistram informationem, quae circa ejus observantiam acceperat, et super hoc Innocentio II scripsit;²⁾ deinde vero recte informatus a proposito recessit novamque privilegiorum confirmationem a B. Eugenio III adeptus est.³⁾ Ita ergo Sahaguntinum Monasterium noviter crevit monachorum numero, per quos divinus cultus maximo splendore persolvebatur; pauperes, egentes ac peregrinantes largissime fovebantur ita ut in eis sublevandis multa modiorum tritici millia quotannis expenderentur.⁴⁾ Haec contingebant sub Guterrio I Abbate (1164—82), quo tempore ordo Sancti Facundi, ut tunc dicebatur, non solum vigeat in plurimis annexis ejusdem,⁵⁾

¹⁾ Sandoval. loc. cit.; Escalona, pag. 95 seq. 102 et Append. I. pag. 304 seq.

²⁾ Bullarium t. II. pag. 219, edit. Rom. 1739. pag. 393, edit Taurin. 1859. Ex hac Innocentii II ad Petrum Venerabilem Epistola nonnulli censuerunt coenobium Sahaguntinum subjectum fuisse aliquando Cluniacensi, quod tamen omnino falsum est, ut probant Yepes (III, 181, 183 et alibi) et Escalona (pag. 110—111). Cf. quae dicta sunt Studien 1904 pag. 196 not. 3.

³⁾ Escalona, pag. 113. et Append. III. Escritura CLXIII. pag. 529. Praeter Eugenium III, confirmaverunt privilegium S. Gregorii VII, B. Urbanus II (1096), Paschalis II (1116), Alexander III (1161) qui praeterea Mitrae usum concessit, Coelestinus III (1194), Gregorius IX (1236), Alexander IV. (1260), Clemens IV (1266), Nicolaus III (1279), Clemens V. (1307) Benedictus XIII (1397), quorum diplomata videri posunt in opere saepe cit. P. Escalona.

⁴⁾ Yepes, III, 191; Escalona, p. 237—241.

⁵⁾ Centum triginta octo coenobia Sahaguntino subjecta invenit cl. P. Escalona in archivo hujus magnae Domus, quae Ordo non immerito vocari poterat, cum quamplures Congregationes, tum antiquae, tum hodiernae, nec simul conjunctae illum numerum aequare valeant. Plurima hujusmodi Coenobia condita fuere saeculo X et XI et abbatialem dignitatem usque ad annexionis tempus habuerunt; nonnulla etiam postea illam retinere, ut Piasca, Rioseco et Medina, de quibus suo loco agendum. Prolixus nimis esset eorum Catalogus, qui videri potest tum apud Yepes (III, 183—186), tum maxime apud Escalona (241—280). Sufficiat ergo hic mentionem facere S. Jacobi de Celariolo, cujus Abbas Gonzalus, seu Gundisalvus, Episcopatum Legionensem regere meruit ab an. 962 (cit Auct. et España Sagrada, XXXIV, 237): S. Eugeniae de Calaveras initio saeculi X jam exstantis; S. Felicis de Bobatella, circa an. 920 conditi; S. Jacobi de Valdevila, quod an. 949 extractum est; necnon S. Martini de Valdepopulo et S. Salvatoris de Pozuelos, quae saltem an. 973 vita regulari florebant. Non multo post Sahaguntino conjuncta sunt Coenobia de Nogal et Belber, quae etsi ad Prioratus gradum reducta, plurimi habita sunt, illud praecipue non parvum conventum habens adhuc saeculo XIV, ex ipso enim, ut jam alibi retulimus, extracti sunt monachi pro Vallisoletana fundatione perficienda. Fuere itidem aliquot Monasteria Monialium Sahaguntino subjecta, ut S. Andreae atque S. Christophori apud Legionem, quorum initia saltem saeculo X inquirenda sunt, sicut et S. Petri de Dominabus (Dueñas), quod cl. P. Escalona fundatum fuisse censet circa an. 973,

sed ad alia quoque Monasteria propagatus est. Hunc ordinem maxime laudat Coelestinus III, olim in Hispania Summi Pontificis Legatus, in pluribus epistolis, quae sive ad privilegiorum Sahaguntinorum confirmationem, sive ad novorum concessionem expediri jussit. Itaque an. 1194 agebat: „Inducit nos ad privilegia multa Coenobio S. Facundi diversis modis et variis indulgentia, non solum fama religiosae conversationis eorum qui in eo Jesuchristo deserviunt, verum etiam evidentis longe fama majoris, quam nos ipsi dum exequeremur in Hispania Legationis officium, experimentis didicimus manifestis . . .“ in alia ejusdem anni epistola, fere iisdem verbis incipiente, ait: „Nos, qui aliquando in eo praesentialiter fuimus, et religionem loci oculis nostris aspeximus libentius et facilius invitamur ad ea vobis per multa privilegia de fratrum consilio concedenda, quibus decor vestri monasterii augeatur . . .“ tandem in tertia epistola subdit religionem Sahaguntinorum „usque hodie de bono in melius audivimus augmentum assumere.“¹⁾ Haec Coelestini III epistolae directae sunt Joanni I, qui successerat Guterrio item I († 15 Martii 1182), vestigia ejus sequens usque ad mortem (an. 1194), quod item fecit Petrus hujus nominis secundus (1195—1203), cujus corpus post quinque saecula inventum est incorruptum, anno nempe 1763, ut textatur P. Escalona, qui cum multis aliis monachis illud inspexit.²⁾

Postea Monasterium extra intraque magnis fatigatus est laboribus, quia incolae oppidi, aliorumque circum jacentium pagorum subjectionem Abbati debitam excutere tentarunt, et Praesules vicinarum Dioecesium non semel jurisdictionem illius usurpabant, qua de causa Romani Pontifices vices suas delegare debuerunt ad pacem componendam. Contra oppidanos defensorem habuit maximum, nempe S. Ferdinandum Regem, qui res Monasterii veluti proprias semper tuitus est,³⁾ et deinde quoque filium ejus Alphonsum X, qui an. 1225 cum tribus Maurorum Regibus, viginti quinque Praelatis, cumque Ordinum Militarium Magistris, multisque Regni sui Proceribus, per mensem commoratus est in Monasterio, qua occasione capita rebellium laqueo suspendi iussit, et ita demum per aliquot annos pax obtenta est, quamvis ad meliorem frugem ceteri non redigerentur.⁴⁾

Intra Monasterium contigit ut officiales, inter quos a saeculo praecedenti bona erant divisa, eadem quasi propria independenter

nostrisque diebus adhuc perseverat. Est et aliud Coenobium Monialium sub titulo Sanctae Crucis intra septa oppidi Sahaguntini. Cf. Yepes III, 186; Argaiz, »Soledad laureada«, VI, 133.

¹⁾ Escalona, App III, pag. 563 seq

²⁾ Idem, 129—32.

³⁾ Escalona, 137—38, seq

⁴⁾ Idem. 150—51.

a Praelato administrarent, in cujus etiam electione aliquando concordia defuit, unde Abbatia vel aliquot annis vacavit, vel duos simul electos Abbates substituit; verumtamen omnes observantiam regularem promovere conati sunt, clarueruntque prae aliis Michael (1213—24), qui de magnis falsisque criminibus apud Pontificem accusatus, per episcopum Auriensem ab eo delegatus, absolutus est, cujus corpus an. 1652 inventum fuit adhuc incorruptum:¹⁾ Guilelmus III (1232—44), ex canonico Ecclesiae Burgensis monachus et Prior Coenobii S. Joannis B. ejusdem civitatis, qui benedictionem abbatialem a Gregorio IX accepit, et post expletam Legationem, quam tum Rex S. Ferdinandus, tum ipse Pontifex apud Coesarem illi commendarunt, inter S. R. E. Cardinales titulo XII Apostolorum recensitus est²⁾ Garcias, ejus successor, ab eodem S. Ferdinando plurimi habitus, beneficiisque cumulatus, qui decessit e vita die 18 Octobris 1251 tanta sanctitatis fama, ut ad devotionem populi adimplendam tribus diebus in Ecclesia expositus permansit:³⁾ post quem secutus est Nicolaus I (1251—64), qui multa ob defensionem bonorum Monasterii a concivibus passus, et amplissimam illorum confirmationem ab Alexandro IV adeptus est;⁴⁾ et tandem Petrus III, antea monachus et Abbas Onniensis, cui Bonifatius VIII exaltationem suam nuntiavit et deinde novam privilegiorum confirmationem tribuit.⁵⁾

Subsequentes Praelati vix requiem habuerunt toto saeculo XIV, tum ob improbitatem oppidanorum Sahaguntinorum, tum quoque ob intrusionem aliquorum episcoporum, quibus pro bono pacis nonnulla jura cessa sunt, coeterum in ea tuenda praecipue insudarunt Nicolaus II (1300—16), ejusque successor Martinus II, qui synodum celebravit (1317), Didacus II, qui a Clemente VI novam privilegiorum confirmationem obtinuit, atque ad studia magis ac magis fovenda in Monasterio Universitatem instituit.⁶⁾ Schismatis tempore Clemens antipapa, legitimo Abbate deposito, Joannem ejus Priorem designavit, qui tamen regularem observantiam ita promovit, ut pro Vallisoletano Monasterio condendo tot monachos destinare potuerit.⁷⁾ Eo e vivis sublato die 28 Oct. 1397, Benedictus XIII antipapa elegit venerabilem Antonium de Ceynos, toties jam laudatum, tuncque Vallisoleti Priorem, qui multa ex incolarum Sahaguntinorum parte sustinuit, primitus enim regimen Coenobii assumere non potuit, et postea vix pacem

⁵⁾ Escalona, 135—39.; Yepes, III, 201.

⁶⁾ Yepes, loc. cit.: Escalona, 141—44.

⁷⁾ Escalona, 144—47. Yepes, loc. cit.

⁸⁾ Escalona, 147—53.

⁹⁾ Idem, 157—61.

¹⁾ Escalona, 162; 166; 169—74.

²⁾ Idem, 178—80; Yepes, 201v.

cum eis unquam habuit. Disciplinam monasticam conservavit, studia-
que Universitatis promovit, pro ipsa nova privilegia impetrans,
ut coeteris regni hujusmodi litterarum coetibus coequaretur.¹⁾

Ad externas hisce curas, quae Praelatos Sahaguntinos toties
tantumque defatigarunt, nova graviorque accessit e Vallisoletanis
quondam ejus filiis proveniens, quia post obtentam ab illis liber-
tatem, Coenobium Sahaguntinum sibi subjicere tentarunt. Oppor-
tunam ad hoc occasionem invenerunt primo cum Abbas S.
Facundi apud Romanum Pontificem accusatus et Romae retentus,
Martinus V voluit ut monachi Sahaguntini consuetudines Subla-
censes amplecterentur, ad quod delegavit Card. Cervantes, qui,
tamen impeditus, vices suas Joanni de Acevedo, Priori Vallisoleta-
no, tribuit. Is an. 1428 in praedictum Coenobium profectus,
omnia turbavit, multosque monachos novitatem reiicientes secum
in Vallisoletum perduxit, ibique publice objurgatos ad praefatas
consuetudines admittendas coegit, dum ipso tempore a Romano
Pontifice Bullam unionis impetrabat, quae tamen effectum non
habuit. Nihilominus non destiterunt Vallisoletani, et iterum an.
1442 jussu Eugenii IV Card. Cervantes visitationem Sahaguntini
Conventus Garciae de Frias, illorum Priori, commisit, quam nulla-
tenus peragere valuit, quia Praelatus eum recusavit, tum privi-
legiis suis innixus, tum veridicam status Monasterii expositionem
Romam transmittens, et ita nunc quoque desiderium Vallisoleta-
norum frustra est.²⁾

Revera Coenobium S. Facundi reformatione non indigebat,
cum maxime in eo floreret regularis disciplina, quam prae oculis
et super omnia semper habuerunt ejus Praelati, ut Petrus de
Medina qui hoc tempore clarebat, et multa bona recuperavit,
Ecclesiam pretiosis supellectilibus ornavit, aedificia magna ex
parte restauravit, meritisque plenus obiit an. 1448.³⁾ Dignum ha-
buit ejusdem nominis successorem Petrum, cognomento del Burgo,
qui obtinuit ut monachi Metimnenses iterum redirent sub ejus
potestate, quam, instantibus Vallisoletanis, multis abhinc annis
non agnoscebant. Ob ejus praeclara merita Rex Castellae, Jo-
hannes II, ipsum ejusque successores inter regios consiliarios sedere
voluit, quo privilegio semper postea Abbates Sahaguntini potiti
sunt.⁴⁾ Eo mortuo (3 Jan. 1467), implevit locum ejus Rudericus
III, antea Prior, quo brevi e vivis sublato, intravit Rudericus IV,
quem, ob nominis similitudinem, nonnulli cum praecedenti con-
fundunt. Sub isto tandem Monasterium Sahaguntinum non refor-
mationis necessitate sed voluntati Regum Catholicorum ob-

1) Escalona, 181, seq.

2) Escalona, 188, 191.

3) Escalona, 190 seq.

4) Yepes, III, 193; Escalona, 193 seq.

secundans, ut Coenobia Hispaniae in unum coalescerent, Congregationi Vallisoletanae an. 1494 unitum est. Abbas Rudericus retinuit dignitatem usque ad 1496, ipsam quoque tunc resignans, et anno sequenti bonis operibus cumulatus in pace requievit.¹⁾

Novo vitae instituto non parum conditio Coenobii mutata est; atque imprimis ademit temporalem jurisdictionem, quam in oppidum Sahaguntinum exercebat, reservaruntque sibimetipsis Reges Catholici fortasse in bonum pacis ad tot tantasque lites e medio tollendas; nihilominus ipsius privilegia jurisdictionemque in reliqua oppida confirmarunt, quae in posterum ei adhuc non leves attulerunt molestias. Vallisoletani reformatores, juxta eorum morem, voluerunt insuper abbatialem dignitatem in Sto Facundo suprimere; eam vero vindicavit Petrus de Najera, qui res Coenobii viriliter et quasi ejusdem filius curavit atque defendit.²⁾ Secutus est in regimine Alphonsus Grixota, hujus Monasterii monachus, „Abbas Sanctus . . . qui diem suum obiit III idus augusti anno Incarnationis Dominicae 1510. Is vita et moribus miraculisque clarus, sicut probatum est testimoniis fidedignis rexit Abbatiam hujus Coenobii SS. Facundi et Primitivi XI annis simul et mensibus“, ut ex inscriptione sepulchri ejus constabat.³⁾ Ab anno

1) Escalona, 196—203.

2) Escalona, 203.

3) Yepes, 200; Argaiz, »Perla«, 378; Escalona, 204—5. Quia Catalogus Abbatum Sahaguntinorum ad Congregationem Vallisoletanam pertinentium non nisi usque ad tempora Yepesii et Argaizii productus habetur, integrum hic dabimus illum ob tanti Coenobii auctoritatem.

1496 Petrus de Najera, deinde Abbas Generalis. Cf. Studien, 1907, pag. 46—47.

1499 V. Alphonsus de Grixota † 11 Augusti 1510.

1511 Didacus de Palencia (al. Plasencia, Catal. Primit. Pavia) depositus a Generali. Erat monachus Vallisoletanus.

1513 Gaspar Villaroel, iterum electus an. 1525; deinde Carrionensis, 1535.

1522 Blasius de Pedrosa, ortu et professione Sahaguntinus.

1530 Ferdinandus de Coca, iterum electus 1533, obiit? 1534.

1534 Didacus de Canales.

1538 Franciscus Ruiz de Valladolid, ortu Vallisoletanus, monachus Sahaguntinus Definitor, Prior Zamorensis. † 19 martii 1546. Scriptor ecclesiasticus.

1546 Joannes de Villaumbrales, confirmatus an. 1549; tertio electus 1559. Fuit Abbas Generalis 1562—65. obiit Salmanticae die 3 April. 1567.

1553 Joannes de Vaca, deinde Carrionensis 1556, tandem Episcopus Panamensis 1558 — obiit in itinere.

1556 Franciscus de Castellanos, iterum electus an. 1562. fuit etiam abbas S. Joannis B. de Corias an. 1559.

1564 Didacus de Soto, Burgensis nativitate, professione vero Sahaguntinus. Ejus nomen invenitur etiam inter Abbates Stae Mariae de Obona.

1567 Antonius de Prado, postea duobus aliis triennis electus, 1584 et 1592. Fuit etiam Abbas Generalis, 1586—89, obiitque an. 1594.

1570 Placidus de Escobar, antea Lerezenis (1568), deinde Thenoriensis.

1576 Didacus de Flandes, ab oppido Fuentes de Nava † 1577.

1577 Joannes de Boiza, a Villamartin.

1538 hanc Domum rexit Franciscus Ruiz de Valladolid, soepe in officio confirmatus, quod prudenter, religiose accurateque gessit

- 1586 Antonius de la Carrera, Carrionensis nativitate, habitu vero Sahaguntinus, in sequenti capitulo electus Abbas Obonenzis.
- 1589 Maurus Otel, ortu et professione Sahaguntinus, successit postea ob mortem Antonii de Prado, an. 1594, eligique meruit deinde an. 1601 et 1606. Rexit quoque Abbatiam S. Mariae de Bueso, fuitque tribus vicibus Definitor Congregationis. † 1611.
- 1595 Joannes de Pedrosa, a Boadilla del Camino, Procurator Generalis apud Romanam Curiam ab an. 1589 tandem Archiepiscopus Brundusinus 1597 —1604.
- 1598 Joannes de Pedraza, fuit Abbas Exlonzensis, et Visitator Congregationis obiit eodem anno.
- 1598 Joannes Guiral, antea S. Bartholomei Abbas, deinde Sanctae Mariae de Obarenes 1593 et 1598, et tandem iterum Sahaguntinus 1610.
- 1601 Martinus Izquierdo, monachus S. Aemiliani Cucullati, et Abbas Sanctae Mariae de Obarenes, et Congregationis Visitator, obiit eodem anno, 1601.
- 1604 Facundus de Torres, natus in oppido Sahaguntino, monachus ap. S. Facundum, electus deinde Abbas iterum 1617, et 1625; Abbas quoque Generalis et tandem Archiepiscopus Sandominicanus ab an. 1629 ad 1640 † 25 Sept.
- 1614 Didacus Sevillano, novem annis Prior S. Salvatoris Nucalensis, deinde iterum Abbas Sahaguntinus 1621.
- 1629 Enneco Medrano, ortus Salmanticae, monachus hujus Coenobii ubi plura alia munera obivit. Obit novem mensibus ante Capitulum Generale.
- 1633 Ludovicus Florez, nativitate ac professione Sahaguntinus, successit loco praecedentis usque ad Capitulum generale, in quo confirmatus est. Fuit Theologiae Lector et Studiorum Moderator in universitate Hirachensi, Definitor et Abbas S. Mariae de Vallisvenaria et Exlonzensis (1625).
- 1637 Joannes Gayangos, Matritensis.
- 1641 Hieronymus Velarde, item Matritensis, habitum induit ap. S. Facundum die 18 Aprilis 1608; fuit Prior hujus Monasterii et S. Mariae de Piasca, Abbas S. Mancii et S. Andreae de Espinareda (1633), Socius Abbatis Generalis (1637), Definitor (1645), Abbas Podiensis (1649), iterum Definitor (1653), iterumque Abbas Sahaguntinus (1657): obiit an. 1660.
- 1645 Franciscus Salvador, a Villa Lumbreras, indutus 17 maii 1614, post plura alia munera, Moderator Generalis Congregationis: obiit Abbas S. Martini Matritensis 18 Aprilis 1654.
- 1649 Gregorius Quintanilla, natus Vallisoleti, indutus in S. Facundo, 23 augusti 1623., iterum electus 1661, Linguae sanctae professor in Academia Salmanticensi et scriptor ecclesiasticus: obiit die 9. Februarii 1674.
- 1651 Alphonsus Aguayo, Arevacensis, habitum induit die 24 Junii 1621, Prior huius Coenobii et Abbas Sancti Mancii; a Capitulo generali anno 1641 electus pro negotiis gerendis Romae; confirmatus in Abbatia S. Facundi an. 1653, et iterum a saniore parte Conventus Abbas postulatus ob mortem Hieron. Velarde anno 1660, sed a Moderatore generali in Coenobium Onniense relegatus est; paulo post a novo Generali socius suus designatus, post rejectum Cajetanum Episcopatum, tandem Auxiliarius Abulensis titulo Caesareae in partibus institui meruit die 23 Februarii 1671. Mortuo autem Abulensi Praesule, Illmus. D. Aguayo ad S. Facundum rediit, ibique meritis plenus obdormivit in Domino, mense Nov. 1680.
- 1660 Michael del Berrio, ab altera parte Conventus designatus, confirmationem Abbatis generalis obtinuit, et usque ad Capitulum generale anni sequentis Coenobium rexit: translatus fuit ex abbatia S. Andreae de Espinareda.

usque ad mortem (19 martii 1546).¹⁾ De ipso fusius agetur in capite de scriptoribus Congregationis. Locum ejus obtinuit Jo-

- 1665 Antonius de Sandoval, natus Vallisoleti, professus Sahaguntinus, Procurator Congregationis apud Romanam Curiam, iterum electus an. 1677, fuit quoque Definitor et Abbas Celoriensis (1675): obiit mense jan. 1678.
- 1678 Primitivus Ruiz, indutus an. 1642, Philosophiae ac Theologiae Lector et Studiorum Praefectus apud Exlonzam et Hirache; Magister generalis ab anno 1673 et Abbas S. Petri de Exlonza 1677, ex quo translatus fuit in S. Facundum. Anno sequenti (1679) morte correptus est.
- 1679 Bernardus Sanchez, a Lillo, indutus die 25 augusti 1650; Concionator Sahaguntinus, Abbasque S. Bartholomaei ab anno 1669; translatus in S. Mancium 1677, et tandem promotus in S. Facundum, ubi confirmatus est a Capitulo generali anno 1681 ad 1685, quo Definitor primus designatus fuit. E vita migravit ibidem die 8 Novembris 1686.
- 1685 Alphonsus Maldonado, nobilissimo genere Vallisoleti natus, indutus in S. Facundo an. 1654. Philosophiae apud Hirache Ovetumque Lector et Studiorum Praefectus in Exlonza; Postea Definitor primus et Abbas S. Claudii Legionensis.
- 1689 Benedictus de Montalvo, a Villarejo de Fuentes, habitum induit an. 1654, Prior Metimnensis et Sahaguntinus, Abbas item Metimnensis et S. Mancii.
- 1693 Josephus Romero, Matritensis, habitu indutus an. 1665, Theologiae Lector in Academia Salmanticensi et Studiorum Praefectus in Exlonza, postea Regis Catholici a concionibus, et unus ex Deputatis pro Constitutionibus novis ordinandis-Electus fuit iterum 1705 et tandem obiit abbas Exlonzensis 1717.
- 1697 Josephus Quiñones, jampridem Abbas Exlonzensis (1689).
- 1701 Thomas de Vordel.
- 1709 Bartholomaeus de la Iglesia, Algariensis a Lupiana, indutus die 24 augusti 1683, Theologiae Doctor et magister in Academia Ovetensi, postea Definitor; sancto fine quievit in Asceterio Legionensi die 9 Aprilis 1717.
- 1713 Ludovicus Taboada, iterum electus an. 1729.
- 1717 Alphonsus Rueda.
- 1721 Anselmus Mariño, Tudensis, qui cucullam suscepit die 19 januarii 1702 et post expleta Lectoris Philosophiae ac Theologiae munera, Sahaguntino Coenobio praefectus, tandem Congregationem moderatus est (1741—45). Ibidem ad coelestem patriam migravit die 16 junii 1747.
- 1725 Josephus Velazquez. In Capitulo an. 1737 fuit tertio electus, ut Ms. asserunt, unde vel morte, vel renuntiatione alicujus ex praecedentibus jampridem fuerat Abbas. Obit die 28 junii 1749, eratque Supremi tribunalis Inquisitionis, ut vocabant, Qualificator.
- 1733 M. N. Reguilon; obiit non dum expleto regiminis tempore.
- 1736 Emmanuel Lombaña, a Vecilla in Campania Vacoceorum, Theologiae Professor in Academiis Salmanticensi et Hirachensi atque dierum Coenobiorum Abbas et in Congregatione Magister generalis, successit loco praecedentis usque ad Capitulum generale an. 1737. Vitam finivit mense januario 1739. Scriptor ecclesiasticus.
- 1741 Bernardus Vela, a Mayorga dioec. Legionensis, cucullam induit die 16 Decembris 1709. Theologiae magister et Cathedrae Vespertinae moderator in Academia Salmantina; electus Abbas hujus Coenobii, Capitulo generali adhuc congregato, dignitatem dimisit, et iterum Salmanticam petiit, et paulo post obtentam cathedram Primariam obiit mense Novembris 1748.
- 1741 Matthias Muro, Calagurritanus ab Autol, studiorum Praefectus in Collegio Podiensi, deinde Procurator Matritensis (1745), Abbas Sanctae Mariae de

¹⁾ Yepes, III, 202; Escalona, 205. etc.

annes de Villaumbrales (1546—52), cujus elogium dedimus in Catalogo Moderatorum Generalium.¹⁾ Huic anno 1552 successit

- Hirache (1749) et tandem Magister generalis 1763—65. Obitus ejus occurrit die 15 Octobris 1767.
- 1745 Isidorus del Campo, Matritensis, Magister generalis et Definitor Iudex (1749), cujus postremus dies fuit 26 Martii 1756.
- 1749 Placidus Alvarado, ab oppido Ribas del Sil, concionator generalis, et antea Hirachensis abbas (1741) et Socius Praesidis generalis (1745).
- 1753 Josephus Maosjon, regius Concionator (a. 1769).
- 1757 Fulgentius Losada.
- 1761 Benedictus Arias, jampridem Abbas Exlonzensis (1749).
- 1765 Paulus Rodriguez, a Bolaños dioecesis Tudensis, indutus 24 maii 1739, Studiorum Praefectus in Exlonza (1761), Definitor Iudex (1769), Abbas de Espinareda (1773), iterum Definitor (1789) et Magister generalis (1793) Vivebat adhuc anno 1801 eratque Decanus habitu totius conventus Sahaguntini. Obiit ante 1805, deest enim in Catalogo illius anni.
- 1769 Anselmus Alvarez Mendieta, Legionensis a Renedo de Valdetueja, deinde Procurator Vallisoleti et Congregationis Visitator.
- 1773 Benedictus Iriarte, Navarrus a Corella, Studiorum moderator in Collegio Exlonzensi; iterum electus an. 1781, tandem Abbas Generalis (1785).
- 1777 Facundus Llano, Asturus a Pintueles dioecesis Ovetensis, Abbas Celoriensis (1761) et Magister Generalis (1765).
- 1785 Anselmus Avalor, Concionator Generalis.
- 1789 Benedictus Lexalde, Navarrus a Fitero, indutus 26 Martii 1762: fuit postea Definitor (1793), Procurator Romae (1797) et tandem Abbas Generalis (1804), † 22 Febr. 1820.
- 1793 Mancius Cid, Legionensis a Villalan, indutus die 3 Maii 1763, Secretarius Congregationis (1789), Definitor (1797) et Visitator (1805).
- 1797 Placidus Saenz, a Galilea, dioecesis Calagurritanae, munere abbatali jam pridem apud Ribas del Sil functus erat (1789): fuit quoque Visitator (1793). Obiit anno sequenti (1798), ejusque loco designatus est mense Decembris.
- 1798 Joannes Briones, ab oppido S. Aemiliani Cucullati, monachus vero Sahaguntinus a die 31 Augusti 1774, Concionator in Monasterio Aemilianensi, deinde Abbas Rippasilensis (1805) et Congregationis Visitator (1814).
- 1801 Felix Robles, a Boñar dioecesis Legionensis, monachus factus die 26 Novembris 1772. Obitus ejus post diem 22 Aprilis 1804 accidisse videtur, electioque successoris ante finem Septembris ejusdem anni.
- 1804 Josephus Samaniego, a Tauro dioecesis Zamorensis, cucullam suscepit die 19 martii 1773. Fuerat antea Praesul Celoriensis, et in Capitulo an. 1805 factus est Definitor; anno vero 1814 inter Magistros generales connumeratus, tandem an. 1818 Abbas generalis esse meruit. † Tauri 3 Augusti 1822.
- 1805 Josephus Saenz de Escalona, Calagurritanus a Galilea, apud S. Facundum monachus factus die 20 Octobris 1784; Fuit Definitor (1814) Abbasque Ovetensis (1818).
- 1814 Alvitus Villar, Asturus, a Villaviciosa dioecesis Ovetensis, indutus 7 Octobris 1782; Deinde fuit Procurator Matritensis (1818), et Chronographus Congregationis (1824). Electus iterum Abbas Sahaguntinus (1832) obiit eodem anno pro Sede Illerdensi? vel Civitatensi? designatus Episcopus. † 15 Novembris 1832.
- 1818 Raymundus Alegria, Navarrus, a Busto dioecesis Calagurritanae, monachus Sahaguntinus a die 8 Octobris 1790, Concionator Matritensis (1814). Postea fuit Definitor (1824) et Abbas Celoriensis (1828) † 15 Februarii 1848.

¹⁾ Studien, 1907, 49.

Joannes de Vaca, magna religione ac prudentia praeditus, qui postea ex Monasterio Carrionensi ad Episcopalem Cathedram Panamensem promotus fuit (1552).¹⁾ Speciali quoque memoria dignus est Antonius Prado, vitae sanctimonia et verbi Dei praedicatione necnon et muneribus in Congregatione perfunctis clarissimus, qui iterum atque iterum electus, religiosam disciplinam diligentissime servavit, bona Coenobii auxit juraque sua defendit adversus Praelatos Legionenses ac Palentinos.²⁾ Non eadem laude celebrandus est Placidus Escobar (1570—76), qui studia antiquae Academiae in Hirachense Coenobium justis rationibus a Congregatione translata, iterum apud S. Facundum excitare conatus est, quamvis ipsi monachi hoc repugnarent, unde his dissidiis Conventus valde imminutus est,³⁾ quam iacturam reparaverunt, post supradictum Antonium de Prado, Joannes Boiza et Maurus Otel, viri religiosissimi, necnon et Joannes de Pedrosa, olim apud Romanam Curiam rerum Congregationis Procurator, et biennio postquam huic Monasterio praefectus erat (1595) electus Archiepiscopus Brundusinus (1597—24—1—1604).⁴⁾ Plurimum etiam Monasterio Sahaguntino profuit regimen Facundi de Torres (ab anno 1604), qui universam Congregationem pariter concreditam habuit, et doctrina praeclarus ad Archiepiscopatum Sancti Domini in Indiis evectus est (1629).⁵⁾ Praelatorum exemplar fuit Hieronymus Velarde, qui aliis officiis iam probatus, S. Facundi conventum regere coepit anno 1641 in exercitiis spiritualibus et S. Regulae observantia verbo et exemplo coeteris omnibus praecedens, quo vita monastica maxime floruit, resque domestica optime conservata est.⁶⁾ Successores dignos habuit Franciscum Salvador (1645) qui ob mortem Rmi. P. Riaño regimen Congre-

1824 Augustinus Sanz, a Corella, dioecesis Turiasionensis, indutus 20 Octobris 1784; Procurator Matritensis 1805, Concionator Compostellanus (1814) et Matritensis (1818), Definitor (1828) et Abbas Espinaredae (1832). Obit Asturicae 16 Novembris 1846.

1828 Rudesindus Holguin, a Castuera, oppido Ordinis de Alcantara, indutus 14 Augusti 1806; postea fuit Definitor (1832) et post exclaustationem, defunctis coeteris Abbatibus Sahaguntinis, territorium Abbatiae administrator usque ad mortem, quae evenit, dum esset Matriti, 27 Junii 1857.

1832 Barnabas Alvarez Balsinde, Asturus, a Campomanes, Dioecesis Ovetensis, monachus factus die 31 Octobris 1786. Fuit Concionator apud S. Joannem de Corias (1818) et deinde pro universa Congregatione (1824). Abbatiae territorium administravit, dissoluta Communitate, usque ad obitum 22 Februarii 1852.

¹⁾ Gams 157: Hernaez, II, 134; Escalona, 207.

²⁾ Studien, 1907, 51—52.

³⁾ Primitivus Pavia, O. S. B., Compendium Historiae Jos. Perez, Ms.

⁴⁾ Escalona 208—9; Gams, 863.

⁵⁾ Yepes III. 203; Escalona, 203 seq.; Gams, 148; Hernaez, II, 15;

Pavia, Ms. cit.

⁶⁾ Escalona, 216.

gationis assumere debuit,¹⁾ Gregorium de Quintanilla (1649), sanctitate non minus quam scientia celebrem,²⁾ atque Alphonsum de Aguayo (1651) olim apud Romanam Curiam Congregationis Procuratorem, qui post recusatam Cajetanam Sedem, factus est Auxiliaris Abulensis titulo Coesarae i. p. (1671).³⁾ Primitivus Ruiz, antea Exlonzensis Abbas, studiorumque Praefectus, vix duobus annis Praelaturam Sahaguntinam tenuit, magnum tamen sui desiderium relinquens in morte (an. 1679),⁴⁾ cujus locum dignissime implevit Bernardus Sanchez, in proximo Capitulo confirmatus (1681), vere pauperum pater, infirmorum solatium monachorumque omnium piissimus pastor, qui vitam religiosissimam morte consona finivit die 8 Novembris an. 1686.⁵⁾ Subsequentes Praelati, nempe, Benedictus Montalvo et Josephus Romero operam suam praecipue dirigere debuerunt ad restauranda aedificia Coenobii, quae magna ex parte igne destructa sunt anno 1692.⁶⁾

Vestigia optimorum Abbatum sequentes, saeculo XVIII, Bartholomaeus Iglesias et Anselmus Mariño disciplinam monasticam diligentissime custodierunt. Uterque divini cultus Ecclesiaeque decoris amantissimus, fratrumque suorum in necessitatibus valde providus, magnam sibi existimationem conciliavit. Ille in S. Claudium Legionensem secedens post expletam Praelaturam Sahaguntinam, ne iterum ipsa oneraretur, petiit obtinuitque a Domino ibi juxta SS. Martyrum exuvias vitam finire an. 1717; alter, postquam Generalatus officio functus erat, in S. Facundum reversus, festo Corporis Christi devotissime peracto, a vinculis carnis liberatus est die 16 Junii 1747.⁷⁾

Ad finem iam vergente saeculo XVIII vetustum hoc Coenobium multis gravibusque infortuniis defatigari coepit antequam supremum extinctionis malum superveniret. Sub Abbate Paulo Rodriguez, qui doctrina plurimisque muneribus in Congregatione perfunctis multum effulsit,⁸⁾ Ecclesia iam collabebat, quapropter ipse ac successores in ejus restorationem intendere debuerunt, quod dum fieret, accidit ut major Coenobii pars iterum igne consumeretur per biduum ardens an. 1769, quo casu non levis labor relictus est subsequentibus Praelatis, inter quos eminuerunt Benedictus Iriarte (1773—77; 1781—85), et Benedictus Lexalde (1789—93), deinde ad supremam Congregationis praelaturam promoti, quam etiam obtinuit Josephus

¹⁾ Studien, 1907, 321.

²⁾ Escalona, 217; Pavia, Ms. cit.

³⁾ Escalona, 219 seq. Pavia, Ms. cit.: España Sagrada, LI, 74—75.

⁴⁾ Pavia, op. cit.

⁵⁾ Escalona, 221.

⁶⁾ Pavia, op. cit.

⁷⁾ Escalona 224, 225; Studien, 1907, pag. 330.

⁸⁾ Filgueira, O. S. B.

Samaniego, qui ob mortem Felicis de Robles (1804) per aliquot menses Sahaguntinis praefuit.¹⁾

Copiosissimae expensae, in restaurationem Ecclesiae ac Monasterii factae, fere ad nihil aliud inservire quam ad operarios pauperesque alendos, siquidem sub Abbate Josepho Saenz de Escalona (1805—14) galli, qui in Hispaniam dolose irruerant, oppidum Sahaguntinum occuparunt, cumque templum pro arce destinarent, inde ab hispanis egredi coacti sunt, quod tamen, nonnisi postquam Ecclesiae ignem applicuerunt, evenit.²⁾ Sed jamprius galli, monachis in Capitulo inclusis, horrearium fune suspenderant, illum morte minitantes ut omnia traderet; deinde monachos e capitulo extractos, foras segregatimque perductos, minis terruerunt ad pecuniam tradendam, quos tandem in cellas suas reductos, ibidem incluserunt. Horrearius, qui aegre a moret salvus aufugit, postea collecta militum manu, gallos undequaque persecutus est, sicque redditus Monasterio debitos percipere potuit.³⁾

Devictis tandem atque ab Hispania pulsus gallorum exercitibus, monachi ad Coenobium regressi sunt, Abbasque Alvitus Villar (1814—18) totum quadriennium impendit in aedificiis restaurandis, quod fere consecutum vidit ejus successor Raymundus Alegria (1818—24), vir valde religiosus, pietate non minus quam scientia praeclarus. Augustinus Sanz (1824—28), quod supererat Ecclesiae antiquae destruere fecit, novamque post eum contruere aggressus est Rudesindus Holguin (1828—32), senioribus Sahaguntinis minus acceptus utpote adhuc junior existimatus, quia vix quadragesimum aetatis annum impleverat. Hac de causa totum regiminis tempus dissidiis transiit, cui malo aliud supervenit, quod disciplinae valde nocuit, nempe erectio collegii pro junioribus monachis Philosophiam discituris. Barnabas Alvarez Balsinde non leves quoque habuit discordias cum ipsis senioribus propter beneficiorum provisiones, quas illis repugnantibus vel facere vel suprimere voluit. Sed majores adhuc amaritudines passus est propter detestabilem Sahaguntinorum incolarum ingratitude. Ut enim pervenit ad eorum aures crudelis regularium coedes Matriti facta, praetor Sahaguntinus militibus stipatus Monasterium ingressus est, Praelatumque in Bibliotheca septuaginta diebus inclusum habuit; interea quidquid ipse et Mag. Antonius Diaz habebant insolenter rapuit, praedictumque monachum in publicum carcerem detulit.⁴⁾

¹⁾ Pavia. Ms. cit.; Studien, 1907, 543, 545.

²⁾ Madoz, »Diccionario Geografico« v. Sahagun, XIII, 622; Quadrado, »Recuerdos y bellezas de España«, Asturias y Leon, Matriti. 1855, pag. 394. Opus eximium, in quo satis accuratum Compendium P. Escalona factum est cap. IV. pag. 383, seq.

³⁾ Pavia, op. cit.

⁴⁾ Pavia, op. cit.

Tandem ipsi Sahaguntini oppidani, ut creditur, Monasterium Ecclesiamque succenderunt¹⁾ et monachi, nonnullis ibidem relictis, per Abbatiae loca dispersi sunt, sicque illos invenit dissolutio Conventuum regularium, quam impium gubernium decreverat, ibique diu Ecclesiis ejus servientes remanserunt. Abbas Alvarez Balsinde, utpote Ordinarius, territorium Nullius Abbatiae S. Facundi administravit usque ad mortem, quae contigit die 20 Februarii 1852, in cujus locum successit Abbas Holguin quinque annis adhuc supervivens.²⁾ Post ejus obitum, nullo exstante Praesule, ab episcopo Legionensi, auctoritate Apostolica, designatus est administrator Abbatiae P. Candidus Herrero, qui et ipse perseveravit apud S. Facundum usque ad mortem (19 Jan. 1869); territorium tamen abbatiale juxta conventiones inter gubernium Sedemque Apostolicam Dioecesi Legionensi tunc jam unitum erat.

Plurimos habuit hoc Coenobium monachos sanctitate ac doctrina praeclaros tum ante tum post unionem Congregationi Vallisoletanae: hic vero tantummodo qui ad secundam periodum pertinent, utpote magis ad propositum nostrum, memorabuntur. Imprimis nominandus Petrus est ille Ponce, toto orbe celeberrimus ob inventam methodum qua, primus nonnullos a nativitate mutos loqui fecit, propter quod ab omnibus scriptoribus de hac re pertractantibus maxime laudatur.³⁾ Nec tamen minore laude dignus est Ven. Maurus Schotus, qui parentibus Calvinianis in Anglia ortus, cum veram fidem agnosceret, in Hispaniam venit, et in hoc Coenobio pro hujusmodi candidatis destinato habitum induit (die 4 augusti 1604) quapropter etiam „a Sancto Facundo“ dictus est. Postea in patriam reversus veram fidem praedicans die 5 Junii an. 1612 martyrium fortiter subiit.⁴⁾ Clarissimi pariter existimantur Franciscus de Borja et Didacus de Vega, Comitis de Grajal filii, quorum primus ex Societate ad Ordinem nostrum non sine magna Jesuitarum contentione transiit, et postea ob vitae meritum Archiepiscopus de La Plata in America renuntiatus est (1634—35).⁵⁾ Sahaguntinum quoque nobilitavit Coenobium clarissimus ille Comes de Lemos, Franciscus de Castro, Neapolitani regni Siculique pro Rege Catholico gubernator, et apud Romanum Pontificem Legatus, qui omnia pro Christo spernens, monasticam vitam amplexus, sub Augustini nomine humiliter degit († 1637).⁶⁾ Commendantur etiam vitae sanctimonia Gabriel de Bustamante,

¹⁾ Cf. Quadrado, »Recuerdos y bellezas de España«, Asturias y Leon. pag. 394.

²⁾ »La Cruz« 1857, 2a Part. pag. 260—61.

³⁾ Yepes, V, 337—38; Argaiz, »Soledad laureada«, VI, 524; Feijoo, »Cartas eruditas«, III, 349; »Teatro critico«, IV, 417; Escalona 206—7.

⁴⁾ Escalona, 213—16; Pavia, Op. cit.

⁵⁾ Escalona, 210—11; Gams, 160; Hernaez, II, 287.

⁶⁾ Studien, 1904, 523; Escalona, 218; Pavia, Op. cit.

rerum Congregationis apud Matritum procurator, abstinentia et vitae puritate insignis († 1661),¹⁾ et Joannes Orriola, qui obtinuit ne ipsi committerentur officia propter quae e Monasterio exire deberet, sed intus Magister Novitorum factus, suo exemplo plurimum profuit († 1674). Ipsum in eodem officio praecesserant Thomas de Verrio et Benedictus Perez, uterque religiosae disciplinae studiosissimus,²⁾ qui omnes postea dignum habuerunt imitatorem Alphonsum Juste, poenitentia et solitudinis amore insignem (10 septembris 1754).³⁾

Perplures etiam monachi litteras cum virtute conjunxerunt, inter quos, praeter illos jam superius relatos cum de Praelatis actum est, memorandi sunt Didacus de Paz (1506—68), qui Historiam coenobii usque ad sua tempora contexit;⁴⁾ Joannes Guardiola, rerum Sahaguntinarum item usque ad finem saeculi XVII scriptor;⁵⁾ Benedictus Alvarez (1622—56), qui apologiam Ordinis nostri adversus Basilianos monachos in lucem edidit;⁶⁾ Alphonsus Gutierrez (1681), Historiae Imaginis D. N. Jesu Christi, quae Metimnae Campi colitur, auctor;⁷⁾ Josephus Perez (1656—96) inter clariores sui temporis viros, testimonio Cardinalis de Aguirre ac Jo. Mabillonii recensendus;⁸⁾ Benedictus Peñalva (1689—1744) cuius scripta theologica in Bibliotheca illius coenobii adhuc inedita custodiebantur;⁹⁾ Emmanuel Lombraña († 1739) apud Salmanticam et Hirache studiorum praefectus et Abbas, qui novitates sui temporis calamo impugnavit;¹⁰⁾ Bernardus Vela (1709—48) in theologicis disciplinis aequae ac in canonicis eruditissimus, quas multis annis tum Oveti, tum Salmanticae tradidit;¹¹⁾ Romualdus Escalona, qui ob novam Coenobii sui ordinatam historiam, quam in lucem edidit an. 1782, amplum locum inter scriptores meretur;¹²⁾ et tandem Primitivus Pavia qui anno 1834 compendium historiae Josephi Perez confecit, de quibus omnibus suo tempore ac loco, Deo dante, agendum est.

In capitulis generalibus aliquoties in hoc Monasterio celebratis, semper aut fere semper unus, pluresve Sahaguntinorum, aliqua dignitate remuneratus apparet. Impossibile omnino est eorum

¹⁾ Escalona, 211, 212.

²⁾ Pavia, op. cit.

³⁾ Escalona, 228—29.

⁴⁾ Pavia, Ms. cit.

⁵⁾ Escalona, 209.

⁶⁾ Escalona, 212—13.

⁷⁾ Escalona, 219.

⁸⁾ Escalona, 222—24.

⁹⁾ Escalona, 225.

¹⁰⁾ Escalona, ibidem.

¹¹⁾ Escalona, 226—27.

¹²⁾ Studien, 1884, 182.

omnium hic meminisse, ideo sufficiat saltem facere mentionem illorum, qui ad saeculum XIX pertinent, suntque Petrus Gomez, jampridem Abbas S. Mariae de Espino, anno 1805 electus Praesul Hirachensis; Marcus Perez Pazos, eodem anno praefectus Coenobio Thenoriensi: Benedictus Lopez Bahamonde, Magister Generalis, postea Podiensis Abbas (1824); Josephus Garcia Lexalde, Abbas Ripasilensis (1814), Definitor ac Theologiae Lector apud S. Facundum (1818), ubi e vita migravit die 8 martii 1820; Ferdinandus Vinuesa, Vicarius monialium S. Mariae de Vega (1805), et Abbas Podiensis (1814); Eugenius Romeo, Abbas Obonensis (1824), et Theologiae Lector in Coenobio Sahaguntino (1828); Antonius Diaz, Procurator in Curia Vallisoletana (1824): Ildephonsus Cordon, Lector theologiae in Monasterio Samonensi an. 1818, deinde studiorum praefectus apud Ovetum (1828), et tandem Mancius Martinez, qui eodem officio functus est apud Exlonzam (1818).

Conventus Sahaguntinus constabat initio saeculi XIX centum triginta sex monachis, duodecimque conversis, quorum multi degabant in aliis monasteriis, parocciis, locisque S. Facundo subditis. Anno 1830, post tot temporum vicisitudines, adhuc centenarius numerus invenitur, ex quibus tantum viginti sex erant superstites an. 1867. Ex his Petrus Coelestinus Montiel erat canonicus ecclesiae Vallisoletanae († 7 Aprilis 1878), et Petrus Nuñez, Archidiaconus Toletanus, postea inclytæ memoriae Episcopus Cauriensis (1868—1884 † 16 mart.)¹⁾. Tantummodo Alvitus Tuñon pervenit ad saeculum XX, obiit enim plenus dierum meritorumque die 11 Januarii anni 1905.

Aedificiorum hujus celeberrimi Monasterii tam hominum malitia quam injuria temporum nihil remanet praeter arcus quo novae Ecclesiae aditus patebat nuncque in via publica invenitur. Sepulchra profanata fuere lapidesque ipsorum pro receptaculis aquae ad animalia adaquanda destinati. Sic transit gloria hujus mundi!

(Continuatio sequitur.)

Von den sieben Hauptsünden.

Von P. Tezelin Halusa, O. Cist.

Nach dem hl. Augustin, nach Gregorius Magnus und Cassian, besonders aber nach dem seraphischen Lehrer läßt sich der spekulative Nachweis für die Siebenzahl dieser Sünden, deren höchste Steigerungen die sogenannten himmelschreienden und die Sünden wider den hl. Geist sind, etwa in folgender Weise geben: Der kreatürliche Wille fällt von der Einheit mit Gott ab, entweder

¹⁾ Gams Appendix pag. 45; Revue Bened. 1884, 241; Studien, 1884, 453.